



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Davidis Regii Prophetae Psalterium**

**Moritz <Hessen, Landgraf>**

**Smalcaldiae, 1593**

**VD16 B 3258**

Octonarius vndecimus. Caph. Defecit in salutare tuum, &c.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68864)

Vnica solatur me nunc tua gratia praesens,  
O Deus, ut pacti foederis acta sonant.  
Restituat lapsō Domini clementia vitam,  
E verbo ut capiam gaudia vera Dei.  
Mendaces pereant, pudor occupet atq; superbos,  
Dum de diuina dissero lege tua.  
Qui tua iussa colunt, ut se coniungere mecum,  
Possint, efficias, te rogo, summe Deus.  
Pectore seruabo tua si praecepta fideli,  
Tum mala non poterit fama nocere mihi.

Octonarius vndecimus.

C A P H.

Defecit in salutare tuum, &c.

**M**ens desiderio caelestis opis mea languet:  
In verbis Domini spes mea cuncta sita est.  
Respicens oculis tua pacta, his inquit verbis:  
Num promissa mihi nunc datur illa salus?  
Contrahor, ut pellis, quam siccatur fumus, in arctū,  
Et tamen edicti sum memor usq; tui.  
Surge Deus, meritis hostes tandem obrue pœnis:  
Ne sit iudicii tam mora longa tui.  
Insidias reprobi tendunt mihi mente dolosa,  
Qui

Qui tua contemnunt dogmata sancta, Deus.  
Verax sermo, Deus, tuus est, me tolle iacentem,  
Me exagitant probris scommatibusq; mali.  
Non tamen à Domini veracis lege recedam,  
Me licet extinctum turba maligna velit.  
Ut tua perpetuo possim promissa tenere,  
Gratia viuificet me tua, care pater.

Octonarius duodecimus.

L A M E D.

In æternum, Domine, verbum &c.

**N**Æ tua verba, Deus, constant mansura per æ-  
Quatenus extendit se plaga lata poli. (uum,  
Ut moles mundi verbo stabilita potenti:  
Sic tua perdurant vera statuta, Deus.  
Omnia sic fiunt, sicut, Deus, ordine mandas,  
Seruit enim mundi machina tota tibi.  
Ni tua lex miserum me consolata fuisset,  
Tot mea vita malis victa iaceret humi.  
Diuini capient me nulla obliuia pacti,  
Illud enim miserum subleuat atq; beat.  
Sum tuus, ergò tuum digneris, queso, iuuare,  
Qui tua sacra, Deus, fœdera fidus amat.

Hoc